



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

B. Aloysus Gonzaga Soc. I. C. 21. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## B. ALOYSUS GONZAGA

Soc. I. C. 21. Iunii.

MORITURUS ALOYSIUS nascendo erat, si non patienti matri mater *Maria* affuisset. Inter prima ejus verba *Jesus* & *Maria* feruntur, boni omnis Puerulus etiamnum in singulis scalarum gradibus scalam cæli *Mariam* salutavit. Hujus horas quotidie, Sabbatho etiam jejunos dixit. Ad hujus effigiem, quam Florentia *Annuntiata* titulo colit, florem virginitatis consecravit, semper, dum vixit, intactum, quia *Horto Concluso* commiserat. Interim catenas flagelli, calcaria cilicii loco, quamvis currenti spontè, corpusculo admovebat, victus vix unicam appendebat, feminarum & chorearum hostis, Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aspexit, precibus tam ubique addictus, ut loqui eum angulis dicerent, rectius Angelis dicturi. Agebat frequenter, non videre se, cur non mortales omnes religionis se manciparent. Et certè Senis cum ad Sodales Marianos diceret, bene multis id persuasit. Ipse, cum *Assumptæ Virginis* die illa è cælo audisset, *Societatem Jesu* ingredi; post longas cum patre pugnas, *Maria* *Jesum* junxit. Hunc quotidie studeret, in genua provolutus vocare; hunc sub panis velo latitantem

22. Junii. VITÆ SANCTORUM. 399  
titantem ante & post ludum literarium  
salutare; sacrificiis quinis senisque mini-  
ster assistere, ad conspectum *Hostiæ* la-  
terymis manare; cum verò eo epulo frue-  
retur: inundare etiam. Itaque nullius no-  
xæ gravioris sibi conscius Angeli nomen  
meruit, ut terra cælum dici posset, si plures  
Aloysios haberet. *Ex Virg. Cepario.*

*Persuasum habe, perindete Angeli du-  
ctum sequi oportere, atque cæcum quem-  
piam, qui viarum discrimina ignorans,  
ejus, qui baculo gressum illius regit, provi-  
dentia in omnibus confidit. Ex dict. B. Alo.*

SS. ACHATIUS & SOC. MM.

22. Junii.

Quale illud cælo spectaculum fuit, cum  
dena hominum millia, pro optimâ  
causâ & amplificando crucifixi nomine,  
crucibus penderent? Dux felicissimæ  
multitudinis ACHATIUS fuit, cui  
contra innumerabilem hostium vim pu-  
gnaturo Angelus victoriam prospondit,  
si Christiana sacra, à quibus alienus tum  
erat, cum sociis suscepisset. Placita con-  
ditio est, Christam adoravit, pugna-  
vit, vicit; utque Deum deinceps ritè  
coleret, cum victore exercitu in Ara-  
rathem montem secessit, ubi, Angelis  
magistris, omnes Deum amandi rationes  
felicissimis tyronibus sunt infusæ. Quan-  
tum profecissent patiendo, quod nibi-  
lissimum.